Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 841
Quelle:
Copyright:

Paulus ait. Modicum fermenti totam maſſam corrumpit. Atque haec usque ad c. 4. L. I. *Gregorii* pertingunt. Sequitur *II. Periocha primi libri in Job.* Ita: *Volo vos ſapientes eſſe in bono* &c. Carpta ſunt haec e c. 2. ejusdem *Libri.* Similiter, quae *Periocha* III. habet, accepta ſunt e c. 10. *Praefationis*, quae *Periocha* IV. e *Praefat.* ejusdem c. 2. Vides igitur, Epitomatorem noſtrum non ſequi *Capitum* ordinem, ſed, quod in *Prooemio* dixerat, *deambulantem per uiride pratum* hinc inde decerpere, maximeque imminere Textibus biblicis eorumque expoſitioni *Gregorianae. Liber I.* numerat *Periochas* 36. II. noſtra diſtributione *Librorum Gregorii* tantum 5. ſed in Codice errore Rubricatoris confuſus cum *Libro* III. aſcendit ad 25. &c. *Liber* XXXV. cenſet *Periochas* 7. et ita terminatur: *Panem quoque ocioſa non comedit. quia hoc quod ſacro eloquio intelligitur. ante eterni iudicis oculos exhibendo operibus oſtendit.* Quae in edit. *Maur. cit.* c. 20. *col.* 1167. leguntur. Adjecit verſiculorum ſtudioſus Librarius:

Penna nimis) dic ſcribę ſcribere)
feſſa ceſſa.
Ac inde) cane laudes nec prece)

CCCLXXIX.

R. 1123 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 125. 4. min. minute ſed nitide perſcriptus, rubro enotatus, quondam, ut in Theca poſtica legitur, *Epiſcopi magln.* quod malim interpretari *Magelonenſis*, quam *Maguntini* aut *Magdeburg.* nam, qui hodie *Montis Peſſulani* eſt, usque ad *Franciſci I. Gall.* Regis tempora *Magelonenſis* fuit; dein Collegii *Vienn.* S. J. complectitur S. *Gregorii M. P. R. Homilias in Ezechielem Prophetam* praeeunte Elencho, in quo nulla *Librorum*, aut *Homiliarum* mentio, ſed *Capitulorum* CLXXVI. Argumenta dantur. Hunc *Praefatio ad Marianum Ep.* ſequitur, poſt quam *Incipit Omelia Libri Ejusdem Prima*, et quamvis poſt *Homiliam* XII. legatur: *Incipit III. Decima*, tamen etiam additur *Pars Secunda.* Nullum Codicem ita diſtributum habuiſſe videntur Editores *Mauriani*, quorum praeviam *Admonitionem* T. I. *Pariſ.* 1705. n. VI. p. 1170. f. confer. Integer ceterum eſt Codex noſter, non tamen ejusmodi, ut e lectione illius *Mauriano* Textui accedere quidquam poſſe videatur.

CCCLXXX.

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. nunc 131. f. maj. per duas columnas bene ſcriptus, coloribus diſtinctus, Librorum initiis deauratis, picturatis et prius *Monaſterij S. Dorothee virginis Wienne*, ut in fronte legitur, inſcriptus R. 2276 eſt: